

stitui, sint sectiones duæ: Exegetica altera, altera dogmatica, dicatur. Nomen autem Dei sit mihi, etiam in præfenti hoc negotio, propinquum, efficiatque, ut & hic labor ad ipsius gloriam, & multorum emolumentum, convertatur.

SECT. I. EXEGETICA.

§. I.

QUOD ad auctorem attinet Psalmi LXXV, hic, si titulo, huic Psalmo præfixo, ejusdemque explicationi communi inihærendum est, Assaphus erit, licet ad hanc sententiam multi multa soleant excipere, præsertim illi, qui omnes Psalmos CL soli tribuunt Davidi, secundum illud Talmudistarum: כל תשבחות האמורות בספר תהלים כולן: *Omnes laudes, quæ dicuntur in libro Psalmorum, omnes illas dixit David.* AUGUSTINUS, certe Lib. XVII, de Civit. Dei Cap. XIV, mihi, scribit, *credibilius videntur existimare, qui omnes illos CL Psalmos Davidis operi tribuunt, eumque aliquos prænotasse etiam nominibus aliorum, aliquid, quod ad rem pertineat, figurantibus; ceteros autem nullius hominis nomen in titulis habere voluisse: Sicut ei varietatis hujus dispositionem, quamvis latebrosam, non tamen inanem, Dominus inspiravit.* Atque, ut hanc suam sententiam tueatur, addit, *nomen Assaphi in titulis Psalmorum quorundam appellative explicandum esse de Synagoga, quod videre licet ex Tom. VIII. Oper. p. 788, & quidem in enarratione Psalmi LXXII, qui nobis est LXXIII.* Nos, cum de illis copiose agant alii, nihil hic addimus, nisi illud unum, quod, cur Assapho hic Psalmus LXXV denegetur, nulla causa necessaria possit allegari: Constat enim de illo, non solum ex I Chron. VII, 20, sqq., quis fuerit, nempe ex Gersonitarum familia